



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quinam sunt effectus Suspensionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

simul; nam locutio indefinita æquivalet universali.

Q. 2. *Quinam sunt effectus Suspensionis?*

Resp. I. Suspensus ab Officio etiam occultus. 1. Peccat mortaliter, si exerceat actum sive ordinis sive Jurisdictionis: quia violat prohibitionem Ecclesiæ in re gravi: idque ubicumque exerceat; nam Censuram contracta sequitur reum ubicumque sit. Ita commun. etiam si suspensio, lata sit à proprio Episcopo, quia est præceptum personale, immediatè respiciens personas, easque obligans extra territorium. Actus tamen Ordinis à Jurisdictione non pendentés sunt validi: quia Ecclesia non potest tollere potestatem Ordinis, sed solum ejus exercitium prohibere. Actus verò Jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denunciatus; quia privatur actuali Jurisdictione: sed validi sunt, si non sit denunciatus, ex constit. Martini V. *Ad evitandum.*

2. Illicitè Beneficium novum reciperet, & ei conferretur: quæ collatio est saltem irritanda, ex c. 8. *de consuet.* quia qui privatus est aliquo actu vel munere, est etiam privatus susceptione eorum quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem est, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea quæ ad talem actum vel munus ordinantur, ex c. ult. *de Clerico excom.*

3. Suspensus fit irregularis, si exerceat functiones Ordinis proprias, quæ competunt Cleri-

Clericis, c. 1. de sent. & re judic. in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. Secus, si exerceat tantum ea quæ sunt Jurisdictionis, vel quæ Laici possunt præstare, ut si canat Epistolam sine manipulo.

Resp. II. Suspensus à Beneficio licet occultus privatur omnibus suorum Beneficiorum fructibus, quibus continentur distributiones quotidianæ, utpote pars fructuum, ita ut non possit eos licitè percipere, & receptos teneatur restituere ante omnem sententiam: nam Censura impedit eorum acquisitionem, unde ad eum non pertinent. Nemo autem retinere potest quod suum non est. Tenetur nihilominus Horas recitare, & alia onera Beneficii præstare; quia hæc obligatio annexa est Beneficio quod retinet; nec eâ liberatur ob privationem fructuum, quæ ei in pœnam culpæ justè imponitur, remanente onere; Censura enim non tollit onus in detrimentum Ecclesiæ & fundatorum.

Non videtur tamen privari jure eligendi, præsentandi, conferendi Beneficium, &c. sibi competentè ratione Beneficii à quo suspensus est: quia electio & activa, præsentatio, collatio non sunt propriè loquendo fructus Beneficii, sed actus Officii tali Beneficio annexi: in materia autem pœnali verba sumi debent in sensu proprio & stricto.

Q. 3. A quo, & quomodo tolli potest Suspendio?

Resp. I. A suspensionibus, etiam si in Jure reservatæ non sint, non possunt Parochi, neque

Rr 5

alii